

gregatio apud Jacob. Pignat. tom. VI, consult. 4, num. 113, illis verbis: « Grassatores seu latrones publici non gaudent immunitate. Non possunt vero dici publici latrones, qui semel aut bis aliquem spoliaverunt, vel sæpius, sed occulte in viis privatis, vel etiam in locis sacris; dummodo non publice furari consueverint 20 martii 1610, in Carbac. et in Laudensi, 28 aprilis 1623. » Addit tamen Decianus, loc. cit., quem sequitur Farinacius, loc. cit., n. 152, eos, qui in domibus privatorum prædæ causa occidunt, latronibus publicis annumerari: et merito, quia cum domus etiam privata sit locus continuo frequentatus, non immerito ad affectum præfatum viis publicis æquiparatur, præsertim quod non minus, sed majus sit malum, bonoque publico magis perniciosum, homines etiam in domibus propriis, ubi se cure habitare quisque sperat, aggredi.

93. Quinto requiritur, ut notorie constet de latrocinii notorietate juris, vel facti, nec sufficit præsumptio, aut suspicio, vel dubium, aut vulgi rumor. Farinacius, loc. cit., n. 153; Castro Palao, loc. cit. n. 2; Decian., loc. cit., in fine, et alii communiter: hinc, donec probetur, extrahi non potest, etsi extractionem præterens dicat, esse notorium, sed citari, et audiri debet etiam ipse reus.

94. Grassator viarum caret asylo: quis sit? — Resp. II. Licet, ut dictum, grassator viarum a multis cum latrone confundantur, stricte tamen loquendo est et dicitur ad propositum ille *ein Landoder Strass. Rauber*, qui in itineribus frequentatis, aut stratis publicis, prædæ causa homines violenter absque tamen cæde aggreditur, ita desumitur ex Bulla Gregorii XIV, § 3, ibi: « Viarum grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur; » ubi uti vides, nulla fit mentio de cæde: concordat, et distinctionem inter latrones, et grassatores facit, l. *Capitalium*, 28, § 10, ff. de Pen., ibi: « Grassatores, qui prædæ causa id faciunt, proximi latronibus habentur. » Cæterum sicut ad latronem, ita etiam ad grassatorem viarum carentem asylo requiritur: I. Ut non una tantum, vel altera vice, sed sæpius grassetur, et homines aggrediatur. II. Ut auferendi causa id faciat. III. Ut in itineribus frequentatis ac stratis publicis hoc agat. IV. Ut de hoc constet notorietate juris, vel facti, per jura, rationes et doctoribus pro requisitis ad publicum latronem; ut proin gras-

sator a latrone stricte non differat, nisi quod hic, non autem ille quem prædæ causa occidat. Quæ tamen differentia in praxi ad præsens multum non est attendenda, vel examinanda, eo quod tam grassator, quam latro publicus privetur asylo; dummodo aggressio 1, frequenter; 2, in itineribus frequentatis, aut stratis publicis; 3, prædæ causa fiat, et 4, ut de hoc notorie notorietate juris, vel facti constet.

95. *Violenter spoliantes domos carent asylo.* — Ubi tamen addendum, quod sicut de publico latrone diximus, n. 92, eum non gaudere, etsi non in itinere publico, sed in domo privata occidat; ita etiam idem de grassatoribus dicamus, ut proin illi, qui in domibus privatis homines violenter aggrediuntur, eisque sua vi abripiant, aut eos ligant, vinculant, includunt, tenent, ne miserii sua defendere possint; e contra vero grassatores cistas aperire, vel alias in domo rapere et auferre libere queant, asylo non gaudeant, ob dicta, n. 92, quod ob casuum frequentiam notandum.

96. *Non item fures.* — Infertur. Fures, qui occulte, vel etiam aliis videntibus sine tamen vi, vel armis aliena auferunt, asylo non privari; quia furtum inter crimina excepta non numeratur, neque fur latronibus, aut grassatoribus viarum annumeratur, uti habet unanimis doctorum. Concordat declaratio sacre Congregationis, n. 92, citata.

97. *Depopulator agrorum quis sit? caret asylo.* — III. Privantur asylo depopulatores agrorum, uti expresse in Bulla Gregorii XIV, § 3, cui concordat c. *Inter alia*, 6, h. t. ibi: « Nocturnus depopulator agrorum. »

Quæritur IV. Quinam ad propositum sint et dicantur depopulatores agrorum? Resp. esse eos, qui agrorum segetes, aut vinearum fructus depopulantur, eosdem comburendo, destruendo, devastando, etc., sive animo nocendi domino, sive sibimet consulendo id faciant; non enim semper animo nocendi domino agri, vel vineæ id faciunt, sed etiam ut sibi prospiciant; ut si comburant, vel destruunt segetes, quia per eas impediuntur a committendis latrociniiis, aut aliis malis; vel si ibidem latitant, et latendo segetes devastant, vel ut omnia secum auferant. Fagnanus, in c. *Inter alia*, 6, n. 27; Castro Palao, loc. cit., n. 4; Hostiensis, in *7. Nocturnus*, arg., l. I. C. *Quando liceat unicuique*, et c. *Inter alia*, 6, h. t. Utram autem publice, vel in occulto fiat depopulatio,

parum refert, cum jura indistincte loquantur, consequenter indistincte veniant intelligenda, l. *de Pretio*, ff., de *Publician. in rem act.*, dummodo notorietate juris, vel facti constet, depopulationem veram esse factam. Dico « veram » ad excludendum casum, quo quis agros, aut segetes non depopulatur, sed aliquam tantum partem latendo v. g. vastat, aut aliquos manipulos v. g. segetum simpliciter furatur; quia nec jus antiquum, c. *Inter alia*, 6, h. t., nec Bulla Gregoriana asylo privat furem nec modice destruentem segetes, sed verum depopulatorem agrorum, aut segetum, qualis solus ille dicitur, qui totaliter, vel graviter vastat, comburit, vel alio modo destruit segetes, l. I, c. *Quando liceat unicuique*, quod præfati non faciunt, consequenter, in lege pœnali odiosa nomine *Depopulatoris* non veniunt, arg. c. *Odiosa*, et c. *In pœnis*, de *Reg. jur.*, in 6.

98. *Etiam diurnus.* — Aliqui, ut Castro Palao, loc. cit. n. 5; Delbene, Tuschus, et alii a Farinacio citati num 161, ab eadem lege pœnali eximere, atque asylo gaudere volunt verum depopulatorem agrorum diurnum, quia juxta jus commune, arg. c. *Inter alia*, h. t. expresse requiritur, ut sit nocturnus depopulator, quod non videatur correctum a Bulla Gregoriana. Verum probabilius videtur, etiam diurnum includi, Farin., in append. de *Immunit.* cap. xi, n. 161; Barbosa, loc. cit., n. 87, et alii; quia Bulla Gregoriana omisit ly *Nocturnus*, et absolute posuit depopulatores agrorum, eosque indistincte privavit asylo, voluitque, ut forma a se tradita servaretur, etsi non forsan antiqui canones mitiores fuissent: ex quo sufficienter correctum videtur jus commune antecessens, arg. c. 1, de *Constit.*, in 6. Præsertim cum non sit major ratio de nocturno, quam diurno depopulatore. Ratio enim cur publici « latrones, viarum grassatores, et agrorum depopulatores » potius priventur asylo quam alii forsan peiores malefactores, secundum Gloss. fin. in c., fin. h. t., communiter receptam, est, quod hi Rei pluribus exitum cogitent, can. *Est injusta*, 30, cau. 23, q. 4, pacemque, et quietem reipublicæ graviter perturbent, l. II, c. *Quando liceat unicuique*, quæ ratio non magis in nocturno, quam diurno depopulatore militat.

99. *Item qui in ecclesiis, vel cæmeteris occidunt, aut mutilant.* — IV. « Jure Asyli carent, qui homicidia et mutilationes in ipsis ecclesiis, vel earum cæmeteriis committere

non verentur; » uti expresse statuitur in Bulla Gregorii XIV, cit. § 3, quod idem habetur in c. fin., h. t. ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: « Cum in eo, quo delinquit, puniri quis debeat; et frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem, mandamus, tales non gaudere immunitatis privilegio, quo se faciunt indignos. » Et sequuntur doctores communiter. Verum circa hoc.

100. *Mutilatio ad propositum, quid?* — Quæritur V. Quando quis dicatur homicidium, vel mutilationem in ecclesiis, vel cæmeteriis committere ad hoc, ut indignus censeatur jure asyli? Ante responsionem notandum, per mutilationem intelligi casum, quo amputatur, vel alias auferitur alicui membrum, vel pars corporis, quæ specialem functionem, seu officium, ab officio aliarum partium distinctum habet, uti sunt manus, pes, oculus, lingua, etc., non item digitus, dens, modica pars carnis, etc., uti notant cum Covarruvia, in Clem. *Si furios*, p. 3, n. 8. Doctores communiter, dum agunt de irregularitate. Hinc cum eisdem.

101. *Vulnerans in ecclesia gaudet asylo.* — Infertur, quod graviter aliquem vulnerans in ecclesia, etiam cum magna sanguinis effusione, et carnis læsione, non privetur asylo, si vulnus lethale non est: uti etiam declarat Sacra Congregatio apud Jacobum Pignat. tom. VI, consult. 4, n. 106, illis verbis: « Qui faciem, vel vultum, vel os cuiquam in ecclesia vulnerat, gaudet immunitate, » 16 novemb. 1618.

102. — *Qui existens extra ecclesiam existentem in ecclesia occidit, vel mutilat.* — Resp. I. In ecclesia delinquit quis non tantum, quando uterque tam lædens scilicet, quam læsus in ipso loco sacro existit, sed etiam si existens extra ecclesiam selopo, lapide, sagitta, etc. occidit, aut mutilat existentem in ecclesia. Barbosa, lib. II. *Jur. Eccl. univ.* n. 113; Farinac. in appendic.; de *Immunit.* cap. xvi. n. 224; Covarruvias, *Variar. resolut.* lib. II. cap. xx. n. 15; Pirhing, h. t. n. 25; Castro Palao, p. II, tract. XI. resol. 9. n. 16; Navarrus, in *Manuali*, cap. xiii. n. 21. ac late Gutierrez, lib. III. *Pract. quæst. civil.* q. 1. n. 23. et seqq. cum communissima aliorum contra Villagut. de *Extensione legum*, cap. fin. n. 50. et seqq. Ratio est, quia talis revera alterum occidit in ecclesia: licet enim causam occisionis inceperit extra ecclesiam, tamen quia actione causativa

mortis executive saltem, ac consummative tetigit alterum in ecclesia, eundem revera occidisse, seu vita privasse dicitur; præsertim cum in delictis potius attendatur consummatio, quam inchoatio, ut post Bartolum in l. *Libellorum* ff. *de Accusat.* n. 7. bene observat Castro Palao, loc. cit. et alii. Idem ob eandem rationem dicendum de eo, qui extra ecclesiam stans lethaliter vulnerat existentem in ecclesia, etsi hic vulnere accepto domum se conferat, et ibidem, consequenter, extra ecclesiam moriatur. Secus si extra ecclesiam existens lethaliter vulnerat pariter existentem extra ecclesiam, etsi talis accepto vulnere ad ecclesiam fugiat, ibique moriatur. Castro Palao, loc. cit. et communis aliorum: eo quod causa efficax mortis nullo modo posita sit in ecclesia.

103. *Aut fieri mandat, non gaudet asylo. Mandati effectus potius imputatur mandanti, quam executori.* — Resp. II. Etiam ille, qui extra ecclesiam existens mandat occidi aliquem existentem in ecclesia, eundem in eadem occidere, consequenter asylo, indignus censetur. Farinac., loc. cit. n. 230. ubi citat Decianum in *tract. criminal.* lib. VI, cap. xxviii, n. 7; Azor. part. II, lib. IX, cap. ix, q. 14, §. *Quarto*; Layman, lib. IV, tract. IX, cap. iii, n. 6; Abb. in c. fin. h. t. n. 12, et alii contra Castro Palao, loc. cit. n. 17, Probatur: tum quia, « qui facit per alium perinde est, ac si faciat per se ipsum, » c. *Qui facit.* 72. *de Reg. jur.* in 6; tum quia executio mandati potius mandanti, quam executori imputatur, c. *Ut famæ.* 35. §. *Laici. de Sentent. excommun.* « Cum is committat vere, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur, » ut dicitur c. *Mulieres.* 6. *de Sentent. excommun.* Hinc etiam ut veri homicidæ in utroque foro habentur, et ut tales puniuntur, quorum mandato, aut efficaci consilio homicidia committuntur, arg. l. *Utrum.* 6. §. *Illa vero.* ff. *ad L. Pompeiam de Parricid.* et can. *Perniciose de Pœnit.* dist. 1. ubi vulchre ad propositum ita habetur: « Perniciose se decipiunt, qui existimant, eos tantum homicidas esse, qui manibus hominem occidunt: et non potius eos, per quorum consilium, fraudem, et exhortationem homines extinguuntur. Nam Judæi Dominum nequaquam propriis manibus occiderunt, sicut scriptum est: *Nobis non licet occidere quemquam*, sed tamen illis Domini mors imputatur; quia ipsi lingua interfecerunt, dicentes: *Crucifige, Crucifige eum.* »

104. *Nec dicas cum Castro Palao, loc. cit. solos in Bulla Gregoriana expressos malefactores carere immunitate asyli, inter quos non comprehenditur mandans occidere; ergo Nam contra est, quod licet non in specie, tamen in genere dicta Bulla comprehendat etiam mandantem, dum indistincte ac in genere asylo privat quemvis in ecclesiis, vel cœmeteriis occidentem, vel homicidii reum: qualis, qui juxta dicta non minus est mandans, quam exequens homicidium, utique etiam comprehensus censetur: cum « verba generalia generaliter sint intelligenda » c. *Quia circa.* 22. *de Privileg.* et « ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus » l. *de Pret.* ff. *de Publician. in rem act.**

105. Confirmatur ex sequela absurdi, videlicet quod aliis mandantes alitem in casibus non exceptis extrahere e loco sacre pœnis Bullæ non subjacerent, cum Bulla nihil in specie de mandantibus, sed tantum in genere de extrahentibus loquatur; atque sequela est contra communem, etiam ipsum Castro Palao, praxinque, ac consuetudinem. « quæ est optima legum interpret, » c. *Dilectus de Consuetud.* ergo.

106. *Qui existens in ecclesia occidit vel mutilat existentem extra.* — Resp. III. Ille quoque, qui existens in ecclesia existentem extra ecclesiam occidit, vel mutilat, caret asylo; Farinacius, loc. cit. n. 223; Abbas, in c. fin. h. t. n. 11; Barbosa, lib. II. *de Jur. Eccl. univ.* cap. iii, n. 144; Castro Palao, loc. cit. n. 19; Gutierrez, lib. III. *Pract. quæst. civil.* q. 1, n. 19; Navarrus, in *Manuali*, cap. xxv, nu. 21; Covarruvias, lib. II. *Variar. resolut.* cap. ii, n. 15; Pirhing, h. t. n. 25. cum communissima aliorum, contra Bonacinam, tom. II. disp. 3, q. 7, p. 4, n. 8; Haunoldum, tom. VI, tract. I, n. 207, et nonnullos alios. Ratio est, tum quia talis in ipsa ecclesia ponit causam efficacem mortis, et est revera jam reus homicidii in ipsa ecclesia; tum quia etiam vere ac proprie delinquit in ipsa ecclesia, ipsique ecclesiæ gravem injuriam infert, abutens illa ad cædem seu iniquam actionem mortis efficaciter causativam, adeo ut in eo omnium militet privationis ratio c. fin. h. t. cujus textum vide num. 99. et verba Bullæ Gregorianæ: « Qui homicidia, aut mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis, earumque cœmeteriis committere non verentur. »

107. *Nec obstat, quod in delictis magis attendatur consummatio, quam inchoatio juxta*

dicta n. 102. quia ex hoc minime sequitur, quod inchoatio omnino non, sed tantum quod minus attendatur, ita tamen, ut effectu secuto etiam pœnis subjaceat; ut patet ex illo, quod si existens in uno territorio occidens sclopeto v. g. existentem in altero territorio, possit puniri in utroque territorio, deturque locus præventioni, uti cum communi tradit Abbas in c. fin. nu. 25 *de Foro competent.* et Gutierrez, loc. 21. Accedit, quod in casu nostro actio inchoativa a consummativa non distinguatur, cum sit una et eadem actio jaculatio v. g. consequenter doctrinam Bartoli num. 99, allegatam, quæ de diveris actionibus loqui videtur, hic non quadrare, bene dici possit, uti advertit Gutierrez, loc. cit. n. 22.

108. *Vel id fieri mandat, non gaudet asylo.* — Resp. IV. Etiam ille asylo indignus est, qui in ecclesia mandat, ut occidatur, vel mutiletur existens extra ecclesiam. Farinacius, loc. cit. n. 229; Abbas in c. fin. h. t. n. 12; Gutierrez, lib. III. *Pract. quæst. civil.* per totum, Navarrus, loc. cit.; Barbosa, loc. cit. n. 116; Azorius, part. II, lib. IX, cap. ix, q. 14; Sylvester §. *Immunitas.* 3, nu. 9 et 10. cum communi aliorum contra Palao, loc. cit.; Haunoldum, loc. cit. Ratio est, quia juxta dicta num. 103. effectus iniquus potius imputatur mandanti, quam exequenti; tum quia talis revera causam efficacem mortis posuit in ipsa ecclesia, fitque, et est vere reus homicidii sacrilegi in ipsa ecclesia, eique injuriam infert, et propterea ejus favore indignus est, arg. c. fin. h. t. confirmatur ex dictis de mandante n. 10 et seq.

109. *Prope ecclesiam v. g. vel in horto monasterii occidens gaudet asylo.* — Quæritur VI. An illi gaudeant asylo, qui prope ecclesiam, v. g. in atrio, in porticu, in scalis ecclesiæ, vel intra quadraginta vel triginta passus ab ecclesia vel in horti monasteriorum occidunt, vel mutilant? Negativam multi tenent, ut Ancharanus in Clem. 1. n. 5. in fine *de Pœnit. et remiss.* Navarrus, in *Manual.* cap. xxv, n. 22; Gutierrez, *Pract. quæst. civil.* lib. V, q. 1, n. 15; Farinacius, loc. cit. n. 210, ubi affert decisionem Clementis VIII in una Panormitana, Covarruvias *Variar. resolut.* lib. II, cap. xx, n. 25; Tuschus, §. *Ecclesia.* conclus. 11. n. 4; Barbosa, in c. fin. h. t. n. 5. saltem in casu, quo quis prope ecclesiam delinquit spe citius, ac securius obtinendi locum asyli, qua distinctione etiam Farinacius, et alii utuntur. Quibus non obstantibus,

110. *Dictio Ipse est personalissima.* — Resp. Spectando Bullam Gregorii XIV, et nisi extet declaratio contraria Clementis VIII probabilius videtur, in præfatis locis, etiam spe immunitatis occidentes, et mutilantes, non privari asylo. Ita absolute tenet sibi met contrarius Barbosa, lib. II. *Jur. Eccl. univ.* cap. iii, n. 117; Castro Palao, part. II, tract. XI, disp. un. punc. 9. n. 21; Suarez, *de Religion.* lib. III, cap. xi, n. 7; Abbas, in c. *Inter alia.* h. t. n. 17 et 18; Diana, part. I, tract. I. resolut. 3; ac novissime Jacob. Pignatell. tom. V. consul. 41. n. 5 et 6. ubi plures alios citat. Ratio principalis est, quia vi Bullæ Gregorianæ ut quis indignus censetur asylo, debet homicidium, aut mutilationem committere in ipsis ecclesiis, aut cœmeteriis: atqui hic non verificatur in illis, qui extra, licet prope ecclesiam delinquant: tum quia particula *In* ablativo juncta, idem significat, quod *intra*, solumque locum interiorem comprehendit, ut bene cum aliis observat Barbosa, *de Diction.* dictio *In*, n. 2, arg. L. 1. §. *Quod diximus.* ff. *de Success. edict.*, et l. *Ait prætor.* §. *In publico.* ff. *de Flumin.*; tum quia dictio *Ipsis* personalissima est solius interioris spatii demonstrativa, uti rursus notat Barbosa, loc. cit. dict. *Ipse*, ubi plures citat decisiones Rotæ lib. III. *Jur. Eccl. univ.* cap. iii, n. 119.

111. *Dices cum adversariis, præfata loca venire nomine Ecclesiæ, aut alterius loci sacri, cui adhærent, indeque gaudere jure asyli; ergo in eis occidens, in ecclesia, aut alio loco sacro occidere, consequenter asylo carere censendus est.* Resp. distinguendo ant. in favorabilibus concedo, in odiosis negatur, arg. c. *Odia et c.* in *Pœnis, de Reg. jur.* in 6. juncta l. *Ait prætor.* ff. *de Flumin.* Hinc quia participatio immunitatis favorabilis est, et privatio ejusdem odiosa, merito in illa, non item in ista veniunt nomine ecclesiæ, aut alterius loci sacri præfata loca.

112. *Examinatur declaratio Clementis VIII.* — Dixi, « nisi extet declaratio Clementis VIII. » Huic enim, si de ea legitime constaret, nec rationabile dubium foret, utique debita cum reverentia acquiescendum foret. Verum Jacob. Pignatell. qui in materia immunitatis ferme omnes declarationes diligentissime collegit, et earum quadraginta sex adducit, tom. VI. consul. 4. a. n. 74 nullam de ea mentionem facit; imo eodem tom. consul. 40. n. 7. dicit, se in hac re desiderare declarationem pontificiam, merito de ea

dubitare licet. Ea propter in casu emergenti pro asylo absolute standum, aut saltem reus in loco asyli manutenendus videtur, donec Romana Curia interrogata responsum, ac resolutionem mittat.

113. *Ob furtum, vel alia delicta in ecclesia commissa, nullus privatur asylo.* — Quæritur VII. An etiam propter furtum vel alia crimina in ecclesiis, vel cœmeteriis commissa privetur quis immunitate asyli? Quamvis affirmativa communissima doctorum iurique communi fuerit, et adhuc sit conformis, præsertim si spe immunitatis commissum est delictum, arg. c. fin. h. t. ubi ratio legis omnes in locis sacris tangit, cui Summarium concordat, ibi: « Qui (ecce! sine distinctione) sub spe immunitatis in ecclesiis, vel cœmeteriis delinquant, immunitate non gaudent. » Nihilominus hodie spectata Bulla Gregorii XIV, Resp. negative, Barbosa, lib. II, *Jur. Eccl. univ.* cap. III, n. 120. Farinacius, in *Append. de Immunitat.* cap. XVI, n. 208; Diana, part. I, tract. I. resolut. 2; Delbene, *de Immunitate*, cap. XVI, dub. 49, n. 10; Peregrin. *de Immunitat.* cap. VI, n. 23; Hænnoldus, tom. VI. *de Jur. et just.* tract. I, n. 198, et alii post dictam Bullam scribentes. Probatum principaliter ex Bulla Gregorii XIV. ubi § 2, expresse declaratur, sola crimina a se ibidem expressa privare. Asylo, « non item alia, etsi æquipolleant aliis in jure expressis, aut adsit paritas, identitas, aut majoritas rationis; » atqui Papa solum homicidia, et mutilationes in ecclesiis, vel cœmeteriis commissas ibidem exprimit; ergo. Et certe, si Pontifex voluisset etiam alia delicta in ecclesiis commissa asylo carere, nocivè duo in specie expressisset, dando prælatis ecclesiæ ansam errandi: præsertim cum faciliter dixisset, « delinquentes graviter in Ecclesia. » Confirmatur ex declaratione allegata n. 100. et alia apud Jacob. Pignat. tom. VI, consult. 4, n. 94, ubi declaratur, quod « furans in ecclesia gaudeat immunitate, possit tamen mitti in exsilium, 15 januarii 1647. »

§ V.

DE RELIQUIS CRIMINIBUS ASYLO PRIVANTIBUS, VIDELICET HOMICIDIO PRODITORIO, CRIMINE ASSASSINI, HERESIS, LÆSÆ MAJESTATIS: UBI ETIAM DE ALIIS CRIMINIBUS: ITEM DE FUGIENTIBUS E CARCERE, AUT MANIBUS SATELLITUM.

114. *Homicidium proditorum privat asylo. Deliberate et ex proposito occidentes secundum*

aliquos sunt proditorii rei, et indigni asylo. — Quantum crimen specialiter in bulla exceptum immunitate privans est homicidium proditorium; uti expresse liquet ex bulla, ibi: « Qui proditorie proximum occidunt, » circa quod:

Quæritur I. Quid ad propositum sit homicidium proditorium? Ante responsionem notandum, inter doctores maxime controversam esse hanc quæstionem, ex cujus decisione dependet resolutio plurimorum casuum de homicidiis, an immunitate gaudeant? Et quidem tres principales in hoc casu reperiuntur opiniones. Prima est Barbosa, in c. 1. *de Homicidio*. Fachin., lib. IX, *Controv.* cap. XCIII; Molina, *de Jur. et just.*, tract. III, disp. 23, n. 3. et plurium aliorum volentium, quemvis homicidam voluntarium ex proposito et industria, etsi absque veris ac certis insidiis commissum, aliquo modo proditorie, sicque indignum esse asylo; idque probare conantur ex eo, quod per bullam Gregorii XIV, *Proditorios homicidas*, privantem asylo non fuerit correctum jus commune antiquum, arg. c. *Cum expediat de Elect.* in 6. de jure autem antiquo an tale homicidium proditorium privans asylo satis fuerit esse factum ex industria, arg. c. 1. *de Homicidio*. ibi: « Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo velles eum ut moriatur: » ubi particula *Et* sumitur in sensu disjunctivo, ut idem significet ac *vel*, prout subinde in jure accipi solet, quando nempe ratio, aut contextus legis id exigit. Idem probant ex Scriptura sacra Veteris Testamenti, *Exodi* XXI, 14. ubi præfata c. 1. verba formalia habentur, et vers. 12. ibi: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* Concordat textus *Deuteronom.* XIX, 11: *Si quis odio habens proximum suum insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, etc. arripient eum de loco refugii, et morietur: non misereberis ejus.* Item ex jure civili novell. 17. cap. VII. ubi voluntarii homicidæ asylo expresse declarantur indigni: quæ constitutio civilis utpote canonizata c. *Inter alia*. 6. h. t. etiam in foro canonico observanda videtur. Rationem dant, quia qui ex proposito occidunt, hoc ipso etiam insidiari vitæ, et per insidias occidere præsumuntur; qui autem per insidias occidunt, proditorie occidunt per dicenda n. seqq.

115. *Juxta alios ad proditorium requiruntur et sufficiunt insidiæ etsi inimicus occidatur.* —

Altera opinio est Covarruvæ, lib. II. *Variar. resolut.* cap. XX, n. 7; Barbosa, lib. II. *Juris Eccl. univ.* cap. III, n. 89, et seqq.; Gutierrez, *Pract. quest.* lib. I, q. 2, n. 3; Sanchez, lib. VI. *Concl.* cap. I, dub. 8, n. 26; Pirhing, h. t. n. 28, et aliorum docendum in materia asyli a. homicidium proditorium non sufficere, quod quis voluntarie etiam ex proposito, et industria occidatur, sed insuper requiri, ut etiam per veras, et certas insidias fiat, quod universaliter tunc fieri volunt, quando quis occidendum ita aggreditur, ut hic et tunc talis nullo modo se valeat defendere; prout fit, si quis veneno, vel a tergo, vel ex insidiis, vel scopeto e latebris, aut de nocte in tenebris, aut alio simili modo, nihil mali prævidens, neque potens hic et nunc se defendere, occiditur: sive dein præcesserit inimicitia sive non, sive sub specie amicitia, sive sine illa occidatur. Et quidem, quod requirantur insidiæ hujusmodi vel dolus, probant ex cit. c. 1. *de Homicid.* ubi ad homicidium privans asylo copulative requiritur, ut fiat « per industriam et per insidias: » quod idem etiam textus legis veteris num. præced. citati exigunt, ut *Deuteronom.* XIX, 11. ibi: *Si insidiatus fuerit vitæ ejus: et Exodi* XXI, ubi postquam vers. 12. positus fuit textus num. præced. citatus, statim vers. 13. subjungitur: *Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum, in quem, confugere debeat.* Quod vero sufficiat homicidium per insidias esse commissum, nec requiratur, ut occisus fuerit amicus, vel saltem non inimicus; ex iisdem deducunt juris, et Scripturæ textibus, ubi nulla facta mentione, vel distinctione amicitia, vel inimicitia solum requiritur, et sufficit, quod « per industriam, et per insidias » quis occidatur, eo quod « homicidium proditorie, et homicidium per insidias » sint synonyma, loc. cit. arg. l. *Capitalium*. 28. § *igne*. 11. ff. *de Pœnis*. l. *Servum*. 6. l. *Neque*. 7. l. *Ne liceat*. 8. c. *de Delator*. cum concordantiis. Tertiam opinionem ponit conclusio sequens, qua ad quæsitum:

116. *Homicidium proditorium proprie tate asylo privans, est omne et solum quod nulla præcedente inimicitia, aut rixa fit, a vero, vel simulato amico, aut ad amicitiam specialiter obligato.* — Resp. Per « homicidium proditorium » in Bulla Gregorii XIV. § 3. expressum, intelligitur proprie tale, quo nomine venit omne et solum illud, quod fit ab ami-

co, vel ex statu muneris, conditionis, aut personæ ad amicitiam, aut fidelitatem specialiter obligato, vel saltem sub aliqua amicitia, fidelitatis, societatis, vel necessitudinis specie, ita ut malitia ejus in hoc consistat, quod quis nulla præcedente inimicitia, aut rixa occidatur, a vero, vel simulato amico, vel ad amicitiam aut fidelitatem specialiter obligato, ita, ut prudenter nec timeatur, nec caveatur; prout fit, si nulla præcedente inimicitia vir uxorem, servus dominum, filius parentem aut e contra, aut si quis alius fratrem, socium itineris, commilitonem, contubernalem, familiarem occidit. Item, si quis positivus amicus quidem non existens, nec ad amicitiam, vel fidelitatem specialiter obligatus invenitur, tamen sub hujusmodi specie occidit, ut proin ubi amicitia vera, vel simulata, vel debita non intervenit, vel si hac interveniente præcesserit inimicitia, aut rixa per reconciliationem nondum sublata. Homicidium proditorium nunquam committatur, etsi quis ex industria, et per insidias v. g. a tergo, vel veneno, vel alio tali modo occidatur, ut hic et nunc defendere se non possit. Ita hodie post Bullam Gregorianam communissima, et quasi certa, signanter Jacob. Pignat. tom. IX, consult. 18. fere per totam, Farinacius, in *appendice de Immunitat.* cap. IX, n. 143; Pax Jordan. *Lucubr.* lib. II, tit. III, n. 342; Sperell. *decis.* 23. et *decis.* 175. plurimos alios citans.

117. *Verba legis in propria significatione accipienda sunt.* — Probatum imprimis, quod in Bulla Gregoriana *Homicidium proditorium* in sensu proprio accipiatur; tum quia regula universalis est, quod verba legis secundum propriam, et communi usu approbatam significationem accipienda sint, nisi aliter de mente legislatoris manifeste constet, arg. c. 2. § *Sed neque*. *de Translat. episc.* et l. *Non aliter*. 67. ff. *de Legat.* 3. ibi: « Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse legislatorem; » tum quia Bulla Gregorii XIV. secundum eam partem, qua privat homicidium proditorium jure asyli est lex odiosa, quæ strictè interpretanda venit, c. *Odia*. *de Reg. jur.* in 6; tum etiam quia Gregorius Papa in præfata Bulla expresse dicit, « quod dilucida declaratione omnem dubitandi, et perperam interpretandi occasionem submovere intendat; quod propria, et juxta communem usum accepta, non item impropria significatione verborum fit; ergo.